



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Epistola LXXXVIII. Ioannis Papae VIII. Ad Ludovicum Baioariorum Regis
Filium. Hortatur ad seruandam pacem cum patruelibus. inuehitur in
Lambertum Spoletanum ducem. rogant episcopis significet vt ad ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

que agenda sunt, coge adunaque consilium: quia in fonte tui cordis primum intingendus calamus, deinde manus nostra formabit characteris apices.

EPISTOLA LXXXVIII.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD LVDOVICVM BAIOARIORVM REGIS FILIVM.

Hortatur ad seruandam pacem cum patruelibus. inuehitur in Lambertum Spoletanum ducem. rogat episcopis significet vt ad Synodum accedant.

Hludouico Baioariorum regis filio.

Prou. 10.

SCRIPVTM enimvero in Salomone legimus: *Filius sapiens lætificat patrem, & est gaudium matris quæ genuit eum*: quapropter, quoniam te, Ludouico filio Caroli, Ludouico filio Ludouici regis, æternitatis præscientiæ suæ consilio omnipotens Deus ex regum, imperatorumque est dignatus producere profapia, & tunc illum plene lætificare contenditis, si vestræ matri eiusque immaculatæ sponsæ aduersus infidantium ictus, atque illius laceratores tota virtute concurritis, omni quoque nixu more parentum, proauiorumque vestrorum auxilii consolationem conferre spreta personarum acceptione quarumlibet quantocius festinatis, sancti Spiritus per Salomonem verbis testantibus; *Frater & amicus in angustiis comprobatur*: & bene nobis filiatio adoptionis vestræ spiritualis fauere valebit, si pacis & vnanimittatis cum fratribus vestris, Christo opifice, concorditer tenere consulte satagitis vinculum: quia in vestra pace fatemur, totius Christiani populi salus consistit, qua demum necessitate, quæue fatigati angustia, relicta sede propria apostolici culminis, compulsi sumus Franciam petere, vosque paterno affectu deposcere, quatenus vna nobiscum positi de communi saluatione sanctæ Romanæ ecclesiæ & reipublicæ statu tractaremus, in paucissimis nunc patefacimus: quia in alio opusculo, qualiter nefarie fit peractum, ad omnium Christianorum notitiam reseruetur conscriptum; quod luce clarius aduertitis. Lambertus Spoletanus perfidus dux Vuidonis quondam stirps, perditionis filius in quantam superbiam pro cupiditate, vt fama vera se habet, Romani imperii eruperit, in nostris tribu-

Prou. 17.

lationibus atque angustiis procul dubio cognoscetis ad liquidum: Romam siquidem clandestina fraude deuotum venire se simulans, a nobis velut filius pacis benigne susceptus, quid virulenti consilii corde ^{*fort. gereret} gestiens in crastinum sequentis diei diluculum demonstrauit: nam deputatis custodibus verum etiam satellitibus ad portam Urbis, quæ ad beati Petri apostolorum principis euntibus pandit iter, nullum nostrorum fidelium ad nos egredi patiens, cibos deferentes coercens, asserit Carolomannum regem sibi talia horrenda facere præcepisse. Quod idcirco non possumus credere, quoniam ex vestra progenie nullus ceruicem superbe contra hanc extulit sedem: sed propter Deum suppliciter colla submisit. Nos fili carissime pro Domini ecclesia & eius ouibus animam ponere cupientes, ecce marinos fluctus undasque falis ad vos veniendo per difficile iter assumpsimus, vobiscumque simul positi Domino miserante vniuersalem Synodum celebrare disponimus totius sanctæ ecclesiæ, vobis obsecundantibus prouectum, & exaltationem loco percongruo satagemus peragere. Quod quæso regni vestri omnibus archiepiscopis, coepiscopisque nostris innotescere dignemini, eosdemque nobis adesse, continua maturitate accelerare monete. Data vt supra.

EPISTOLA LXXXIX.
IOANNIS PAPÆ VIII.

AD CAROLOMANNVM REGEM.

Eiusdem pene argumenti.

Dilecto filio Carolomanno glorioso regi.

QUANTA denique exaltatione sponsionis vestræ sanctam Romanam ecclesiam, videlicet matrem vestram omniumque Christianorum, quæ vos & lacte suæ prædicationis ab vberibus & ad imperialia a proavis sceptrâ sanguine regum excellenter produxit, subleuare curetis; & epistolari textu, & internuntiis nuper ad nos directis reminiscimur pleniter, fontemque vbertim cordis vestri solita pietate parentum vestrorum circa omnipotentis Dei famulatum miseratione abundare reperimus: vestrum quoque ad prædictam matrem vestram, vti gloria culmi-